

dies atque noctes crebris aggressibus continuatum plurimos  
hinc inde prostravit, ubi de exercitu imperatoris cecidere  
episcopus Leodiensis et abbas Wissenburgensis et nonnulli  
alii viri militares. Sed de parte Romanorum plures numero

fol. 109.

Per idem tempus Philippus rex Francorum et rex Anglie  
multique dictorum et aliorum regnorum principes et  
barones expeditionem peregrinationis ad terram sanctam  
contra Sarracenos invicem condixerunt. Hac igitur fama ad  
noticiam soldani Sarracenorum principis deducta <sup>1)</sup> idem sol-  
danus Clementi pape quinto ridiculosam epistolam desti-  
navit, <sup>19)</sup> que (apud multos usque hodie) percopiata servatur. Et  
quia desolacionis ipsius terre sancte tempora adhuc resta-  
bant, dispositione divini consilii taliter ordinante prefata  
expeditio terre sancte remansit infecta. Nullus enim dictorum  
regum et principum prout disposuerant transfretavit.

Imperator itaque Henricus nil credens actum, dum adhuc  
aliquid superesset agendum, ad anteriora prospiciens et  
neglecta imperii cura toto conatu recuperare satagens, multa  
loca civitates et terras imperii bellice requisivit, multa  
fortiter et gloriose agens et quocumque se vertebat optata  
et prospera consequens, adeo ut dici posset de eodem, quod  
victorie gloria ipsum precedebat potius quam sequebatur.

Lucan. Pharsal. I.

Sed quia fatorum ordine prosperis semper contraria se  
admiscent, dictus princeps, antequam opere compleret, que  
mente conceperat, de hac vita est sublatus. Fertur autem

1313 aug. 24.

cf. Hist.

et habet relatio multorum, quod, cum idem princeps

<sup>2)</sup> deducta cod. 4) papa cod.

<sup>19)</sup> Geobaldus. <sup>19)</sup> Egypticus. <sup>19)</sup> Quam invenies in Hist. imp. et pont. Clonien. i.

1313 apr.

1310 oct.